

ferens augetur suam gratiam, quæ est fructus æternus longè preriosior. Hoc tamen bene observandum, quod nihil proficit, si quis opera satisfactoria, quæ antecedenter fecit, velit postea transcribere animabus purgantibus, vel alicui alteri; nam satisfactiones tales non manerunt suspensæ, sed vel statim applicatæ sunt, vel repositæ in Thesauris Ecclesiæ; quia est communis sententia Gabrielis, & aliorum apud La Croix cit. num. 1330. quod, si ille, pro quo fructus satisfactionis offertur, sit illius incapax, vel non indigeat, vel nulli sit applicatus, prodest facienti tale opus, & si hic non indigeat, reponatur in communem Ecclesiæ Thesaurum. Ulterius, si quis vivens applicet animabus purgantibus omnia sacrificia, & preces pro se defuncto fundendas, Raynaudus apud La Croix cit. num. 1334. dicit hoc etiam invalidè fieri; quia applicatio operis non est in potestate illius, pro quo offertur, sed pendet ab intentione operantis; operans autem qui suo tempore offert pro me, non offert ad hanc meam intentionem, sed offert, ut prodest mihi; ideoque si tunc mihi prodesse poterit, poterit, si autem prodesse non poterit, & operans non substituat aliam intentionem, tunc vel poterit ipsi operanti, vel reponatur in communem Thesaurum Ecclesiæ juxta supradicta.

III. Suffragia nondum exhibitæ, etiam si certò sint exhibenda, nunc non profunt animabus in purgatorio, ut habet communis apud La Croix lib. 6. part. 2. num. 1340. Ratio est, quia etiam DEUS prævideat aliquid faciendum, non ideo antequàm præterit, reponit præmium, nisi accedat specialis misericordia, qualis fuit, quod ob prævita Christi merita dederit gratias Adamo, & antiquis Patribus; pro hoc enim dicendo habemus speciale fundamentum in Sacra Scriptura, & SS. Patribus; quia redemptio omnium hominum erat tribuenda Christo.

IV. Resistorio eorum, quæ defunctus abstulerat, aut expletio votorum, quæ neglexerat, quamvis per accidens possint prodesse ratione priorum actuum, quos hæredes nunc eliciunt pro defuncto, tamen de se nihil operantur ad liberationem animæ. Ita S. Thomas, Navarrus, Sotus, Bellarminus, Suarez, Molina, Valentia, Raynaudus apud La Croix cit. n. 1345. Ratio est; quia si defunctus ante mortem fecit, quod potuit, non ideo diutius patietur, si id neglexit, patietur, quantum promerita est ipsius negligentia, hæredum autem negligentia non est culpa ad ipsum pertinens; cum ipse illius causa per se non fuerit. Idem est dicendum de ablatione scanda, quod defunctus posuerat, dum viveret. Nihilominus alii apud nostrum Martium Theol. Moral. disp. 24. qu. 3. art. 3. nu. 69. affirmant, dilationem restitutionis à testatore relicta, obesse ejus animæ in purgatorio existentis, & esse causam longioris dilationis in illis pœnis. Ratio est: quia ipsa actualis restitutio est opus bonum, & per se satisfactorium, & ideo, cum sit restitutio, accedit hoc opus satisfactorium ad satisfactionem, quam faciunt animæ illæ per se in illis pœnis, & sic citius ab illis pœnis absolvuntur. Si autem restitutio non fiat, cogatur anime ille integrè per se satisfacere pœnis illis debitis, quæ proinde longius protrahuntur, nec ab eis absolvuntur, donec per se solvant usque ad minimum quadrantem. Cui opinioni etiam favent revelationes quædam animarum defunctorum, quæ vivis apparuerunt, & ab hæredibus suorum debitorum restitutionem fieri petierunt, ut à purgatorio liberarentur. Unde S. Birgitta l. 6. Revelationum, cap. 66. affirmat, tandiu animam cruciari in purgatorio, donec restituatur ablatum. Ita Richardus 4. dist. 45. qu. 4. art. 5. Gabriel, Altissanus, Faber. Ulterius dicendum, Eleemosynas, & alia pia opera, quæ sunt ex voluntate testatoris, ab hæredibus, vel aliis commissariis, juvare testatores in purgatorio existentes pro pœnarum satisfatione, non solum quando hæredes vel commissarii in statu gratiæ ea exequuntur, sed etiam quando hæredes vel commissarii sunt in peccato mortali, dum dictam testatoris voluntatem exequuntur. Ita Doctor noster Seraphicus D. Bonaventura 4. dist. 45. art. 2. qu. 2. ubi in Corpore questionis inquit, distinguendum esse, quod suffragia facta pro defunctis, aut sunt opera Sacramentalia, ut celebratio Missæ, & tunc, quia opera DEI sunt, ratione contenti profunt, five sint à bonis, five à malis; aut sunt alia opera, & hoc dupliciter: aut enim sunt pure à malis, sicut si aliquid malus orat, vel se affligit pro aliquo, & tunc inquit, non valere defunctis; aut sunt à malis ad imperium alicujus boni, ut verb. grat. ipsius defuncti de re, quæ illius est in Eleemosyna, & tunc valent ratione doni charitatis homini scilicet testatori, conjunctæ. Ita etiam dicitur D. Thomas 4. d. 45. qu. 2. art. 1. Ex quibus deducitur, quod licet hæc suffragia valeant pro defunctis, quamvis illi, per quos fiunt, in peccato mortali exstant;

tamen non valent si testator, quando ea constituit in testamento v. g. non fuit in gratia, vel saltem suam testamentum ante mortem, dum rediit in DEI gratiam, sua voluntate non confirmavit, ut prædicta opera, & suffragia ab homine jutto procedere dici possint. Martius cit. disp. 24. qu. 3. num. 67.

Quæres: An defunctis prohi Campanarum pulsus, usus cereorum ardentium, sepulchra in loco sacro?

Respond. I. Campanarum pulsus non juvat defunctos, nisi indirectè, quatenus movet audientes ad bene precandum defuncto. La Croix lib. 6. part. 2. numer. 1347. Raynaudus &c. Consepelire defunctis res pretiosas, imagines &c. nullum etiam ipsis adfert subsidium. La Croix cit.

Resp. II. Usus cereorum ardentium prodest defunctis, in quantum amici nomine defuncti protestantur, se confiteri Christum esse verum lumen mundi, & ex ejus meritis sperare misericordiam. Raynaudus apud La Croix cit. num. 1346. Sepultura in loco sacro eis prodest partim, quia fideles illic convenientes excitantur ad orandum pro defunctis; quia preces publicæ, quæ in tali loco funduntur, extenduntur etiam ad inibi sepultos. Aspersio Aquæ benedictæ prodest propter preces Ecclesiæ; nam benedicens petit prodesse etiam ad condonationem pœnarum. Incensatione Thuris orat Ecclesia, ut anima paucatur odore cælesti, Raynaudus apud La Croix cit.

§. III. Condiciones requisite ad Applicationem Suffragiorum.

I. Doctores communiter docent, tres condiciones requiri in eo, pro quo suffragium offertur, ut ei prodest. Prima est, ut indigeat suffragio, hoc est, ut sit debitor alicujus pœnæ temporalis; si enim nulla talis pœna solvenda restet, etiam per suffragium exsolvi non poterit. Secunda est, ut sit in statu gratiæ, quia qui non existit in gratia, non habet communicationem cum aliis membris vivis, cum sit mortuum, ideo recipere non potest influxum ab altero membro, cui non est conjunctum. Accedit, quod in peccato mortali exillens sit dignus pœna æterna; ergo non est dignus remissione pœnæ temporalis. Tertia conditio est, ut peccata, pro quibus satisfactio, seu suffragium exhibetur, jam sint deleta quoad culpam; quia nequit remitti pœna antequàm culpa remittatur, cum manente culpa semper remaneat dignitas, & obligatio ad pœnam. Ex quo fit, ut satisfactio exhibita ab homine jutto pro se habente peccatum veniale, vel pro alio item habente, culpas veniales nondum remissas, non prodest pro venialibus nondum remissis. Ita Suarez, Valentia, Nugnus, Coninck, Lugo, Bonacina, & alii communiter apud Martium cit. disp. 23. num. 80. Aliam conditionem addunt aliqui, quod ille, pro quo suffragium offertur, illud acceptet. Sed hæc conditio superflua censetur; quoniam sufficit generalis voluntas, quam unuquisque justus habet, ut solvatur à pœna temporalis debita, & usi Ecclesiæ receptum est, ut offerantur suffragia pro amicis quoque absentibus, & ignorantibus sibi suffragia offerri.

II. Condiciones ex parte offerentis suffragium, ut hoc suum habeat effectum, etiam requiruntur tres. Prima est, ut offerens suffragium sit in statu gratiæ, quia existens in peccato mortali, indignus est remissione tam culpæ, quam pœnæ, & consequenter est etiam impotens ad obtinendam alteri remissionem pœnæ temporalis per applicationem suffragii. Hoc autem intelligendum est de suffragio satisfactorio ex opere operantis, ut sunt jejunia, orationes, Eleemosynæ &c. de quo in hac Appendice tantum est sermo, non de suffragio satisfactorio ex opere operato, ut est verb. grat. Sacrificium Missæ, & indulgentiæ &c. de quibus alibi. Hoc etiam intelligendum est de suffragio facto ab aliquo in Persona propria; nam si preces offerantur à sacerdote in Persona Ecclesiæ, quales sunt, quæ fiunt in Missa, & Divino Officio; hæc orationes dicuntur etiam à Ministri peccatore adhuc valent per modum satisfactionis, vel saltem per modum impetrationis, juxta diversitatem opinionum; quatenus Ecclesia per os illius ministri suas preces, & vota DEO representat. Ita Communis DD. apud Martium cit. nu. 82. Sed quid dicendum, si Dominus præcipiens fieri opus bonum per famulum, vel testator per executores Testamenti, sit quidem in statu gratiæ: famulus vero, vel executor Testamenti non sint in statu gratiæ, dum opus præceptum exequuntur? Respondent DD. cum distinctione: opera quæ per alium fiunt, duobus modis fieri possunt: primo enim fieri possunt per alium, tamquam per Instrumentum, Secundo per alium, tamquam per causam propriam, & proximam illorum operum; Quando fiunt per alium tamquam per instrumentum, sunt satisfactio-

storia, quamvis ille, qui ea facit, sit in peccato mortali: & Ratio est: quia opus est satisfactorium, quatenus provenit à principali agente: quare, si præcipiens, qui est agens principale, sit in gratia, opus valet, & prodest ad satisfactionem, ut si dominus in gratia existens præcipiat per famulum, suo nomine elemosynam fieri. Si vero exequens non sit causa mere instrumentalis, sed proxima, & principalis illius operis, opus ab eo præstitum in peccato mortali, non prodest, nec est satisfactorium; unde si Prælati subdit præcipiat orare, vel jejunare in aliorum satisfactionem, si hæc opera pœnaliter subditus exequatur in statu peccati mortalis, voluntas Prælati est quidem DEO accepta, sed opera illa non sunt satisfactoria: quia Jejunium, & Oratio sunt merè personales, quorum causa propria, & proxima est orans, vel jejunans, & ab eo exequuntur in statu peccati mortali, ut supponitur. Ita Bonacina plures alios citans apud Martium citatum numero 83. Hæc doctrina applicari etiam debet testatori pro se in Testamento constituenti donationem elemosynarum, & executionem aliorum piorum operum, & sic est intelligendum, quod supra numer. 248. de testatore dictum est.

III. Secunda Conditio, ex parte offerentis suffragium est, ut offerens habeat intentionem offerendi pro eo, cui prodest, illic suffragium applicare intendat: & hæc intentio opus bonum antecedere debet, non subsequi: quia offerens, seu operans suæ satisfactionis fructum suspendere nequit: nam ut Coninck. disputatione undecima, dubio septimo advertit, omnes hujusmodi satisfactioes hoc ipso, quod nec ipse operans iis indiget, nec, dum operatur, eas alicui indigenti applicat, in Thesauri Ecclesiæ reponuntur, quem extrà collationem Sacramenti nemo dispensare potest, nisi qui potest indulgentias concedere. Hæc verò intentio applicandi pro aliis suffragia, ex communiori, & probabiliori sententia apud Martium citatum numero 84. sufficit, si sit habitualis, nimirum semel habita, & non retractata, sicut ad applicationem Sacrificii pro alio sufficit intentio habitualis, semel videlicet habita, & non retractata, ut docet Doctor noster Subtilis quodlib. 20. Centinus, Gavarius, Brancatus, Sporer Theologia Sacramentali parte secunda, capite quinto, numero 340. Tertia Conditio est, ut suffragium sit opus, quod ex se vim habeat satisfaciendi, hoc est, habeat valorem, & pretium ad solvendum debitum illius, pro quo satisfactio. Opera autem hujusmodi reducuntur ad orationem, Jejunium, & Eleemosynam, sub quibus omnes alie operationes pœnales, & satisfactoriæ comprehenduntur. Ratio hujus conditionis est: quia debitum nemo solvere potest, nisi solvendo pretium illi æquivalens: ergo quod datur alicui in debiti solutionem, debet in se prius valorem pretii habere, & tunc datio illius pro debito est vera solutio, & compensatio.

IV. Hic adhuc aliqua occurrunt notanda. I. Quod Suffragium pro pluribus sive vivis, sive defunctis oblatum non habet in singulis tantum valorem, quantum haberet, si pro uno solo offerretur. Ita Doctores Seraphicus, Angelicus, & Subtilis, & alii antiquiores, & Recentiores passim apud Martium Theologia Moral. disputatione vigesima quarta, numero 60. Ratio est; quia fructus satisfactorius suffragii est finitus: ergo dividitur inter plures secundum diversas portiones, ita ut quilibet participans minas accipiat, quo sunt plures participantes. Deinde idem probat Doctor noster Subtilis apud Martium citatum ex hoc: quia si suffragia æquè prodesse multis, ac uni soli, sequeretur, quemlibet Sacrificium facientem, vel orationes fundentem, aut elemosynas largientem, teneri applicare pro omnibus: alioquin contra Charitatem faceret: cum uno, & eodem actu posset plures animas simul liberare, & earum penas minuire: sed hoc est falsum: quia Ecclesia non solum id non facit, sed etiam omnino prohibet, ne quis pro pluribus missam applicet, quam pro uno applicare tenetur. II. Suffragia pro aliis oblata non profunt offerenti quoad fructum satisfactorium, & impetrationem: quia opus bonum non habet fructum satisfactorium, aut impetrationem infinitum, sed limitatum: adeoque si hic alteri applicetur, prodest illi, cui applicatur, non verè applicanti: & quidem tantum prodest illi, cui applicatur, quantum prodesse applicanti, si sibi ipsi applicaret. Martius citatus disputatione vigesima tertia, numero 77. Quia verò fructus meritorius de condigno, alteri applicari non potest juxta supradicta: ideo hic semper remanet facienti opus

bonum meritorium de condigno. III. Si subditus applicet satisfactioes suas contra applicationem Superioris, poterit peccare contra obedientiam, sed prævalet subditi applicatio, ut à pari docuit Pater Sporer Theologia Sacramentali, parte secunda, capite quarto, numero 289. de Sacrificio Missæ, docetque cum Durando, Suarez, & aliis La Croix libro sexto, parte secunda, numero 1335. Actio enim talis cum omni suo fructu subest immediatè soli dominio operantis, cujus intentionem non potest supplere, aut mutare Superior.

S. Ultimus.  
 Communicatio bonorum Operum, & Suffragiorum facta aliis, per Filiantias, seu Litteras filiationis.

I. EX prædictis consequitur, validam, & licitam esse praxim in Religionibus aliquibus consuètam, per quam Litteræ filiationis, seu communicatiæ bonorum operum, à Religione Prælati, quibusdam personis, Ordini, seu Religioni benè affectis, specialibus benefactoribus, & Patronis exhibentur, pro quibus intelligendis, notandum, quod docet Suarez, Corduba, Henriquez, Rodriguez apud Layman libro quinto, tractatu septimo, capite quarto, numero quinto, per ejusmodi generalem bonorum spiritualium communicationem, directè, & immediatè non applicari satisfactioes subditorum. Ratio est, quia cujusque hominis, etiam Religiosi, opera bona, & fructus eorum, subjacent particulari dominio ipsius operantis; ergo non debent cessari bona communia, quæ à Prælato communicatis applicari possint, cui ipse velit, nec obstat, quod dicitur in capite: Non dicatis. 12. questione prima. Religiosos non tantum propriis facultatibus, sed etiam voluntariis renuntiasse: non enim sensus est: quod sicuti terrenarum substantiarum, ita etiam suorum liberorum actuum domini esse desinant: sed quod per obedientiæ votum ita suam voluntatem Superioris imperio subjecerint, ut contra ejus justum imperium nihil licitè velle possint. Dicitur est: directè, & immediatè; siquidem fructus satisfactioem adscitis in communicationem bonorum operum Religionis, prodesse potest mediatè, interveniente videlicet ipsorum subditorum applicatione generali, vel speciali, nam imprimis, si subditi sua opera satisfactoria generatim applicent Religioni, vel omnibus ejus membris, participabunt etiam ii, qui per litteras filiationis, seu filiantias in Religionem, ab hujus Prælati assumpti fuerint. Deinde si Prælati ordinis justam ob causam præcipiat Religioso, ut huic personæ in particulari opus satisfactiois applicet, subditus obedire debet, ita ut si contra justum sui superioris præceptum alteri applicet, peccet quidem, sed applicatio ipsius operantis efficac sit, non obstantè contraria applicatione Prælati; quippe quæ vim nullam habet, nisi interveniente voluntaria applicatione ipsius operantis, sive generali, sive speciali, sicut etiam docet Sotus, & Suarez apud Layman cit. numer. 6.

II. Fructus, qui assumptis in participationem meritorum alicujus Religionis provenit, præcipuè est per modum impetrationis, & meriti de congruo. Ita Adrianus, & Suarez apud Layman citatum. Possunt verò hoc loco distinguere duplicis impetrationis fructum, directè, & indirectè. Directa impetratio requirit intentionem & applicationem eorum, qui pro aliis orant, vel ad impetrandum alia opera bona de congruo meritoria exercent. Hæc autem intentio potest esse, vel specialis, ut si Religiosi opera sua, & orationes specialiter DEO offerant pro personis suæ Congregationi conjunctis: tunc orationes hæc propter charitatis, & amicitie unionem, majorem vim habent ad impetrandum à DEO, quam si ferant pro extraneis. Vel potest esse generalis tantum intentio, ut si opera meritoria, & orationes instituantur universim pro Religione, & membris ejus: tunc participes esse possunt illi omnes, qui in communicationem meritorum de congruo assumpti fuerint. Indirecta verò impetratio, non requirit ullam intentionem, vel applicationem, sed hoc ipso, quod in aliqua Religione bona opera iustorum fiunt, valent apud Deum de congruo, ut eorum ratione, & intuitu propitius, & speciali auxilio protegat illos, qui mem-



bra sunt hujus Communitatis. Etenim ratio amicitiae postulare videtur, ut Deus propter amicos suos, etiam aliis beneficiat, qui illis amicitia conjuncti sunt.

III. Licet verò Corduba, & Rodriguez apud Layman citatum, dicant, per ejusmodi communicationem honorum operum, ac meritum factam aliquibus personis, ac si membra essent alicujus Religionis, nihil ipsis Religiosis decedere, hoc tantum verum est, quatenus opera habent vim impetrandi à DEO indirectè: etenim, quò major est numerus iustorum in aliqua congregatione eò magis inclinatur DEUS ad beneficiendum singulis. Sed aliter sciendum est, si loquamur de impetratione directa: quia orationes, quanto pro plu-

ribus personis DEO offeruntur tantò minorem vim habent impetrandi singulis id, quod petitur. Layman citat.

IV. Denique possunt Generales, & Provinciales totius Ordinis Fratrum Minorum, communicare Suffragia, Orationes, bona Spirituality, ac indulgentias Ordinibus, benefactoribus Ordinis ex concessione Urbani Quinti per Bullam, ut jam supra dictum fuit. Ita Casarubios V. Indulgentia quo ad seculares 4. numer. 4. quæ facultas non est revocata à Paulo Quinto: hodieque adhuc viget, testibus Lezana; apud Gobat tractatu quarto, de Indulgentiis, parte prima, capite nono, numero 110. et Lantuscum in Theatro Regularium. V. Bona Spirituality, num. 1.

Finis Supplementi Theologiae Sacramentalis.

[Faint, mostly illegible text in the left margin, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

AC-

A C C E S S I T  
APPENDIX DUPLEX,  
CENTIFOLIA  
E T  
A L P H A B E T I C A .  
P R A E F A T I O .



Um Theologiae Moralis fundamentum, & basis sit Theologia Polemica, & Scholastica, ac Definitiones Summorum Pontificum, quibus placuit Theologiae Morali subnectere duas Appendices, Centifoliam, & Alphabeticae; Centifoliam quidem, hoc est, Centum Assertiones ex Theologia Scholastica, & Polemica selectas, breviter probatas, & ab objectionibus defensas, ut Theologus Moralis in casu occurrente, data occasione sciat saltem aliquid Scholasticè, & Polemicè discurrere, & non planè obmutescat. Alphabeticae verò Appendicem, continentem Bullas, & Constitutiones Pontificum per extensum positas, & in nostris Supplementis Theologiae Moralis hinc inde citatas; quia plus movet animum tota aliqua Bulla per extensum posita, & lecta, quam aliqua tantum verba ex eadem citata, atque magis intellectum illuminat, ac confirmat Decretum aliquid Pontificum in terminis formalibus ex integro perlectum, quam si tantum aliquas lineas ex eodem depromptas perceperit. Tu, bone Lector, interim fruire, & vale, & pro me ora.

APPENDIX CENTIFOLIA,  
S E U  
C E N T U M A S S E R T I O N E S  
S E L E C T A E  
E X U N I V E R S A T H E O L O G I A .

Ex I. Libro Sententiarum de DEO Uno, & Trino, ac de Beatitudine.

A S S E R T I O I.



Essentia DEI à posteriori demonstrari potest. Demonstratio in prima figura in tertio modo perfectio scilicet Darii. Omnis ille, qui omnes res contingentes determinavit ad existendum, & tamen à nulla re contingenti determinatur ad existendum, est DEUS; atqui aliquis existens est, qui omnes res contingentes determinavit ad existendum (quia res contingens ab alio determinari debet ad existendum, cum ex se sit indifferens ad existendum, & non existendum) & qui à nulla re contingenti est determinatus ad existendum (quia nihil potest determinare ad existendum id, à quo fuit ipsum determinatum ad existendum) ergo aliquis existens est DEUS. II. Omnis qui potest producere creaturas, si nulla de facto existeret, est DEUS; atqui existens est aliquis, qui potest creaturas producere, si nulla de facto existeret, cum adhuc forent producibiles: ergo existens est DEUS. III. Ens optimum est existens, si enim non existeret, non foret optimum; atqui DEUS est ens optimum: ergo DEUS est existens.

Obijciunt I. Inter Objectum demonstrandum, & potentiam cognoscendam debet esse proportio: sed inter DEUM, & intellectum nostrum nulla est proportio: quia finis ad infinitum nulla est proportio: ergo R. D. Debet esse aliqua proportio in cognoscendo C. in essendo N. H. DEUS nequit demonstrari ex creaturis contingentibus. R. D. quia contingentes sunt C. quia necessariae sunt ex suppositione, quod existant. N. III. Non datur creatura perfectissima: ergo nec ens optimum. R. N. Conf. disparitas est; quia creatura perfectissima implicat in terminis contradictionem; non sic ens optimum. IV. Si daretur calor infinitus, praeter illum non daretur alius calor, & nullum compateretur frigus: ergo etiam si daretur ens optimum, & infinitum, praeter illud non daretur aliud ens, & nullum compateretur malum. R. N. conf. disparitas est,

Supplem. Theol. Sacram.

quia calor infinitus formaliter contineret omnes calores, & naturaliter ageret, non sic est in DEO.

A S S E R T I O II.

Ratio ultimò constitutiva, & distinctiva essentiae Divinae est ipsius existentia essentialis. Ita docet Doctor Subtilis Joannes Duns Scotus in 1. dist. 1. q. 2. & Scotistae communiter contra Thomistas, & Recentiores.

Probatur. Exod. 3. DEUS seipsum definiens ait: Ego sum, qui sum. Ratio est, quia sola essentialis existentia primò distinguit Essentiam Divinam ab omni alio, ipsaque est radix omnium perfectionum Divinarum. Cur enim DEUS est infinitus, à se, aeternus, immutabilis &c. nisi quia est essentialiter existens? ergo.

Obijciunt I. DEUS in ratione existentiae convenit cum omnibus aliis rebus existentibus. R. D. DEUS convenit cum omnibus aliis rebus in ratione existentiae essentialis: à qua omnia profiunt. N. in ratione existentiae ut sic C. II. infinitas distinguit ab omni alio. R. D. distinctioe quidditativa. & primaria N. secundaria C. III. Vita est de essentia DEI. R. D. vita radicalis C. formalis N. IV. existentia non est de essentia creature: ergo nec de essentia DEI. R. N. Conf. disparitas est, quia creatura est indifferens ad existendum, non sic Deus.

A S S E R T I O III.

Iner essentiam Divinam, & attributa Divina datur distinctio Scotistica. Scotus 1. d. 2. q. 7. & Scotistae contra Thomistas, & Recentiores.

Probatur. A parte rei, independenter à nostris conceptibus, actualiter, formaliter, DEUS est Trinus in Personis, Pater non est Trinus. Essentia Divina est una in Tribus Sanctissimis Personis, Relatio verò personalis non est una, ex 1. Joan. 5. Pater generat, essentia non generat, ex Concil. Lateranensi: essentia est communicabilis Filio, non Paternitas, ex Concil. Flor. Verbum Divinum caro factum est, non essentia, ex Concil. Toler. Filius procedit per intellectum, non immediatè per essentiam: Spiritus Sanctus procedit per voluntatè, non per intellectum: ergo Scotisticè distinguuntur.

Obijciunt I. Concilia, & SS. Patres asserunt essentia, & attributa differre sola ratione. R. Per distinctionem rationis intelligunt illam, quae non est realis. II. Damata est sententia Gilberti distinguentis essentiam divinam ab attributis. R. Quia distinguit realiter, ut testantur DD. Seraphicus, Angelicus, & eximius Suarez. III. Essentia divina foret in potentia ad attributa. R. D. in potentia passiva N. emanativa C. IV. Essentia divina perficeretur ab attributis. R. D. per informationem N. per identitatem perfectam. C.

S 3

AS-